APOLOGIA

MEDICA DOCTORIS FRANcisci de Ancona Medici, ac Chirurgi Hispalensis, in qua disputatur, an liceat caput gumositatibus affectum, Vnguento ex argento viuo lenire.



EXCELLENTISSIMO HISpaniæ Magnati. D. D. Ferdinando Enriquez de Ribera, Duci de Alcala, Marchioni Tartesiaco, Comiti Marolitano, totius Bethicæ præfecto Notario, ac vrbis Hispalensis accenso MAXIMO.

POSTQVAM Huc pusillum confeci laborem (Magnanime, & Excellentissime Princips) millies

A *illum*

illum typis mandare decreueram, & totidem ab instituto restitit animus: ex altera enim parte me compellebat communis omnium vtilitas, ne forte contraria opinione mentibus obsecratis tam singulari, ac præstanti præsidio genus humanum careret adiris Luis Venereæ cruciatibus alioqui non liberandum impium enim videbatur, quod ad me, & ab alijs sedula cura, ac diligentia iam diu est obseruatum non patefacere, sed alio conuersus velociter per currentem calamum remorabar cum cōsiderarem hunc meū laborem forsitan non ea animi sinceritate receptum ~~cum~~ in qua ego ipsum in lucem edere paro, sic igitur quo me verterem inscius fluctuabat animus donec in tanta hæsitatione statim, ac occurristi mihi (magnanime Princeps) tibi hoc opusculum omnium manibus sub tuo fauore, atque tutamine committere decreui. Certe enim scio sub tanto protectore, ac mecenate me admodum difficilia aggredi posse. Quis enim excelentiæ tuæ magnitudinem contemplatus, non exorescet, & quasi coactus tacebit? Quis denique magnitudinis tuæ pietatem, & religionem inspiciens, hunc meū laborē nōn æquo animo accipiet? Quis tādē oculos conyciēs in maximam qua polles litterarū facundiam, & vbertatē per docta satis esse in hoc tractatu cōtenta non existimauit? Quare cum hic tractatus, nisi his omnibus munitis excudi, non poßit a te summis contendo pracibus, vt illū qua soles humanitate recipias præcipue, cum tibi iam me benefitijs efficere consuetum admodum sit. Vale, Excelentißime Princeps Magnatū maxime, & sapientiū sapientißime.

CVM Ad rerum intelligentiam plurimum conducat recta tractandorum dispositio, ac ordo ideo in hac nō minus celebri, quam vtili difficultate tractanda, placuit mihi scolasticum ordiné seruare, & hanc disputationē ad formā quæstionis redigere, cū nulla alia clarior & distintior reperiatur via. Proponamque in primis omnia cōtrariæ sententiæ fundamenta, & postea pro difficultatis decisione aliqua notabilia statuā, & deinde, quid tenendum sit determinabo, ac tandem argumenta contraria dissoluens, huic tractatui colophonem imponam qui si pacato, & non irato animo recipiatur, non dubito quod me veritatem attigisse fateantur omnes.

Sunt tamen pro parte negatiua aliqua argumēta cōtendentia probare nullo modo capiti vnguēta ex argento viuo conuenire quorum primum in hunc modum se habet.

Aurifices cum argentea vascula Hidrargiro deaurant propter effumationem argenti viui non leuia solent pati symptomata, vt totius corporis tremoris, & aliquando paralises attestantur igitur vnctio argenti viui capiti administrata, hæc & grauiora alia concitabit accidentia, & ita administrari non debet.

Secundum argumentum est quæ frigida sunt necessario nocebunt cerebro, sed argentum vi-

uum frgido pollet temperamento, igitur argenti viui capiti adhibitio nociua erit, ac per consequés ab eius vsu abstinendum est.

Tertium argumentum. Ex argentũ viuõ capiti gumositatibus affecto applicaretur propter argenti viui frigiditatem repellerentur humores a partibus exterioribus ad interiores, & principes, vt pote cerebrum, sed hoc est contra omnem medicinam, vt cuilibet haud mediocriter in medicina versato, est notum: ergo nullatenus vnctiones in capite sunt admittendæ.

Quartum argumentũ est. Venena non debent applicari partibus principibus, sed argentum viuũ venenum est, vt cóstat ex illo Pharma copola, qui hidrargiro epoto interijt, igitur non debet administrari cerebro, quod pars est princeps.

Quintum argumentum est. Vnctio argenti viui non tollit radicitus morbum gallicum cum non auferat qualitatem Veneream iecori impressam, sed solum humores gallicos euacuat igitur talis vnctio superflue administratur.

Hæc sunt fortiora argumenta, quæ pro hac stabilienda sententia adduci possunt: sed vt veritatem ostendamus aliqua prius notanda sunt:

Primo notandum est. Remedia morbum galicum stirpare potentia ocultam debere participare qualitatem, quæ malignæ luis venereæ qualitati

litati contrarietur, taliterque remedium, & morbus proporcionari debent, vt debilibus morbis debilia remedia conueniant, extremis autem, extrema remedia ſint ex vſa docente Hipocrate. 1. Aph. 6. Vnde cum morbus galicus ad tantam peruenit immanitatem, vt crudeliſsima exitet ſymptomata, extremus factus extrema remedia requirit, cum leuiora prodeſſe non poſsint, dummodo vires aut naturę vniuerſalis, aut particularis cuius partis remedia tollerare poſsint.

Secundo breuiter eſt notandum, quod remedij ſpecies ſolummodo a morbi ſpecie indicatur. Natura tamen affectæ particulæ ſpeciem remedij a morbo ex poſtulatam non impedire, ſed tãtum metiri, & moderari poteſt, quare ſi morbus galicus aliquod ex poſtulat remedium partis affectæ natura medicamentum non recuſauit, ſed tantum eius intentionem, & quantitatem menſurabit.

Sed quia præcipua contrariæ ſententiæ fundamenta pendent, ex eo quod exiſtiment eius fautores argentum viuum frigidum eſſe, & venenatam habere qualitatem, ideo in duobus ſequentibus notabilibus de his ſermonem inſtituemus, & in hoc tertio notabili de argenti viui temperatura tractabimus.

Pro quo ſciendum eſt, quod in explorandis

medicamentorum temperaturis ea est seruanda regula, vt quam prius post actuationem medicamenta producant qualitatem eam illis conuenire existimabimus, nam si medicamenta actuata non sint per accidens alias qualitates producere solent, vt ex nimio vini potu nonnunquam accidit, frigiditas enim produci solet suffocato natiuo calore, & non ideo dicemus vinum frigidum esse. Nam ille effectus productus fuit per accidens ante vini actuationem. Quare argenti viui temperatura, non vt cunque inuestiganda est, sed postquam a nostro calore fuerit actuatum.

Deprehendemus tamen medicamentum aliquod iam esse actuatum, quia apparent effectus, quos solet tale medicamẽtum producere, vt Rhabarbarum, tunc temporis actuatum esse existimauimus cum bilis purgatur hoc enim operari nequit Rhabarbarum, nisi de pòtentia ad actum fuerit reductum. Ita similiter argentum viuum esse actuatum iudicauimus, quando eius proprietas, & effectus elucescat, & cum actuatus Hydrargirus habeat commouere, & agitare humores, eosque communiter persputum euacuare, aut aliquando per aliam regionem, visa quidem tali euacuatione, iam argentum viuum ad actum esse reductum cognoscemus.

Quos igitur effectus conspicimus iam actuato

argento

argento viuo, & humores euacuatos? Sunt ne frigiditatẽs effectus? Minime quidem, ſed omnes certe calorẽ atteſtantur fundere enim, ac liquare craſſos, & glutinoſos humores gumoſsitatesque diſſoluere, quis ſanæmentis a frigiditate fieri a ſeuerabit? Poteſt ne frigiditas acreſcere erodentes reddere humores? Nonne argentum viuum tantam tribuit humoribus acrimoniam, vt magna vlcera exitentur? Sed ſi frigidum, & non calidum eſſet nullo modo, id præſtare poſſet, & hac ratione argenti viui antidota temperata, & lenientia ſunt medicamnta qeualia ſunt lac a xunzia porcina, & oleum anigdalarum dulcium, quod euidenter oſtẽdit argentum viuum actuatum nõ frigiditatem ſed calorem acrem inducere. Quod ſi etiam animaduertamus argentum viuum nullatenus a frigiditate coagulari, ſed potius eſſe in fluxu perpetuo facillimo negocio inueniemus, id ex inſigne eius prouenire calore, vt Paracelſus aſſerit libro vexationum capite de calore Mercurij, nec pro hac ſententia grauiſsimi deſſunt autores Rondoletus enim in methodo curandi morbos c.12. & Hieronymus Mercurialis libro de Morbo Galico, & Libabius de natura metalorum cap.10. Frater Euãgeliſta cap.12. Nicolaus Maſſa libro 4. de Morbo Napolitano. Arnaldus de Villanoua in Roſario Philoſophico de natura argenti viui aſſerunt Hydrar-

drargirum calidum esse, & sicum quorum autoritates ad verbum hic transcribere non placet, ne multas in vtiliter impleam paginas.

Coniungi etiam in argento viuo cum calore, siccitatem ex maxima eius exicandi virtute posse demonstrari arbitror, & humores enim superfluos exicat, & consumit, vlceraque siccitate corrigens ad sanitatem perducit, ~~& consummit~~, habet in super argentum viuum cum calore, & siccitate maximam partium tenuitatem, seu friabilitatē, ita vt in minuitissimas partes facillimo negotio diuidi possit, vt eius perpetuus motus ostendit. Ego enim non aliunde fieri existimo, quam ex eoquod partes eius superiores propter maximam grauitatem seorsum ire conantur, quarum motui, & inferiores partes, quia facile propter friabilitatem disiungi possunt cedere non recusant, partes, quæ disiunctæ sui appetentes conseruationem vniuntur, & postea alijs partibus separatis, & alijs deorsum latis perpetuus ille argenti viui seruatur motus.

Habet præterea argentum viuum firmam, & æquabilem mistionem, vt ex eius longa duratione colligitur, sepe enim in ossibus mortuorum post multos annos inuenitur.

Quare vt argentum viuum actuetur vehemētem admodum requirit calorem, qui firmam eius

mistio-

mistionem dissoluere posſit, vnde in vnctionibus administrandis fortem imperamus fieri frictioné, vt calor sufficiens excitetur pro argenti viui actuatione, cuius caloris defectu cum argentum viuum intus assumitur, sæpius non actuatur, nam præter calorem, qui frictione in partibus exterioribus excitatur magis in ipsis, quam in partibus interioribus immoratur argentum viuum propter viarum angustiam, & ita melius alteratur, & ad actum reducitur. Nec solum requiritur iste intensus calor ad hydrargiri actuationem, sed etiam est necessaria aliqua substantia humida, quæ cum argento bene coniungi, & permisceri posſit, sicca enim. & humiditatis expertia actuari nequeũt ad calorem, nisi substantia humida accedat, quæ pabulum sit acquisiti caloris, vt in calce videre licet. Substantia tamen, quæ cum hydrargiro miscetur, aerea debet esse, & ita ipsum cum axunxia porcina, & alijs rebus vnctuosis permiscemus, vt commode actuari posſit. Quare si argentum viuum per se solum partibus administraretur nullo modo, aut difficulter ad actú reduceretur, nec dissolueret ac funderet humores cum substãtia humida nó adesset quæ esset pabulum caloris.

Quarto notandum est, quod vt determinemus an argentum viuum sit venenum sciendum est

illa dici venena, quæ ex ſua natura habent noſtram ſubſtantiam corrumpere, ſiue id ſit propter occultam, vel propter manifeſtam qualitatem, talis enim qualitas cum certa & determinata quantitate ſuum effectum producit, ſiue ſit venenum calidum, ſiue frigidum, nam quodvis agens ad agendum determinatam expoſtulat quãtitatem, dicitur tamen venenum frigidum, venenum a quantitate, quia maiorem quantitatẽ, quam venenum calidum ad ſuum effectum producendum requirit.

Debet igitur venenum ſua qualitate interficere potius, quam ſua quantitate, nam ſi aliqua alimenta in ea aſſumantur quantitate, vt ſuffocato natiuo calore hominem interimant, non ideo dicemus venenoſa fuiſſe, nam illud fuit factum per accidens ratione multitudinis materię vnde ſi argentum viuum venenum eſt debet interficere propter malignam qualitatem, & non per accidens ratione multitudinis materiæ.

Talem tamen venenoſam qualitatem in argento viuo non eſſe, ex eo conſtabit, quod argentum viuum non interficit, vt euidenter oſtendit argenti viui vſus ſæpe enim intus aſſumitur ſine noxa, & cum maxima vtilitate, quod ego millies iam fœliciter admodum ſum expertus, quod quidem impoſsibile eſſet ſi argentum

viuum

viuum haberet venenosam qualitatem nos internecare potentem, idque confirmant plurima authorum testimonia, nam refert Marianus Sãctus Barolitanus in suo tractatu de casu, & offensione se vidisse mulieré, quæ propter aliquos morbos quibus continuo affligebatur, sesqui libra argenti viui assumpta, sine aliqua noxa a morbis libera euasit, & idé author affirmat se exhibuisse in colica passione argentum viuum pondere trium vnciarum cum fælici successu, & Antonius Mussa magni habendus author Hydrargirum ad puerorum lumbricos commendat, & Mathiolus affirmat dari argentum viuum in difficili partu cum maxima vtilitate, & partus acceleratione sine vllo matris, & infantis nocumento, & Ambrosius Pareus lib.20. de venenis cap. 38. de argento viuo inquit ipsum minime esse venenum, quod expertus fuit in canis catulo qui libram vnam argenti viui epotam innoxie per aluum deiecit, & præter hos Chalmetheus in suo Enchiridio tractatu de morbo gallico in fine, & Michael Angelus Blondius in suo tractatu de Morbo Gallico in fine capitis de præstanti remedio Barbaroum, & Rondoletius in suo tractatu de Morbo Gallico, quasdam pilulas ore sumendas contra luem veneream ex argento viuo componunt, quæ communiter pilule barbarorũ ap-

 pellan-

pellantur. Quòd idem ostendit penaceæ vsus, quæ communiter ex argento viuo componitur cuius varias descriptiones hic afferre non placet.

Sed non possum nō mirari hoc in loco, quod sint qui existiment argentum viuum, quia venenum ore non esse sumendum, & deinde statuant puluerem Ioannis Vigonis, seu præcipitatum ægrotantibus ex morbo gallico esse exhibendū nam si hydrargirus assumi non debet, quia est venenum, multo minus exhiberi poterit puluis Vigonis cum ex duobus venenis conficiatur, nempe ex Mercurio, & aqua forti argētariorum, aut si posse exhiberi præcipitatum afferunt quare Mercurium intus assumi posse negant? Immo existimo præcipitatū, ita immane, & crudele esse remedium ad hoc, vt intus sumatur, vt eius vsus merito exterminari deberet, nam talis puluis, ita vehementem & acrem habet calorem propter empireuma ab aqua forti relictum, etiamsi quantumuis corrigatur aqua plantaginis diamargaritone frigido, & alijs vt partes principes exiccet, & cōtabefaciat, & immedicabiles excitet dissenterias aliosque grauissimos pariat morbos, ex quibus ægrotantes, quam plurimos vitā cum morte commutasse, sæpe sępius hisce oculis vidi. Eiusque vsum detestantur Paschalius in

suo

ſuo 1.lib. de curandis morbis cap. 2. de Morbo Gallico, & Pereda in Scholio, Phalopiusque non contemnendus author in libro de Morbo Gallico cap.19. aſſerit præcipitatum non hominum, ſed aſsinorum eſſe medicamentũ, & Augerius Ferrerius in tractatu de Morbo Gallico in ſeptimo modo curatiuo de medicinis purgantibus, fol.52. inquit quod iſti puluercs crudeliter purgant, & niſi caveris interimunt.

Quibus ſic poſitis, & determinata iam argẽti viui temperatura, et ipſo a venenorum liberato numero ſermonis cõſequutione quid in propoſita quæſtione tenendum ſit ſtatuere oportet quod vnica determinabo concluſione, quæ his clauditur verbis.

Caput gumoſsitatibus, et doloribus gallicis afectum vnguentis ex argento viuo confectis, poteſt, et debet liniri ſi alia remedia non ſufficere videantur, et vires permittant cerebrumq; eo robore conſtet, vt remedium tollerare poſsit.

Hæc noſtra concluſio quam plurimis poteſt confirmari rationibus quarũ prima eſt, argẽtum viuum ſecure intus aſſumitur, vt probaui in 4. notabili igitur multo melius, & ſecurius eo poterit caput inungi cum ſecurius ſit, extra applicare remedia, quam ea intus aſſumere.

Secundo probatur concluſio, nam vnctio ar-

genti viui est species remedij indicarique debet non a natura partis, sed a morbi gallici specie & conditione, cũ alia non prossunt remedia igitur vbicumque fuerit talis morbus gallicus, siue in capite, siue in alijs partibus talem speciem remedij indicabit, sed remedium a morbo ex postulatum viribus consentientibus ab affecta particula non impedîtur, sed tantum in quantitate, & vtendi modo mensuratur, igitur cum in cerebro fuerit affectus vnctionem expostulantis si cerebrum robore constet talem vnctionem non impediet, sed tantum eam mensurabit.

Tertio probatur conclusio. Nam ad extremos morbos extrema exquisite remedia conueniunt, igitur cum morbus gallicus in capite ita firmatus est, vt extremus morbus fiat, extremum remedium qualis est invnctio administrari debet.

Quarto probatur conclusio. Nam communiter in capitis tumoribus, & gumositatibus applicatur emplastú ranarum cum duplicato Mercurio, sine aliqua noxa, vt quotidiana testatur experientia, igitur etiam caput liniri poterit vnguentis argenti viui, maior enim quantitas mercurij correspondet emplasto quam vnguento, & licet non ita, ac vnguentum penetret in longiori tempore eosdem effectus producet attenuatur

nuatur enim, & vi dilatationis arteriarũ aliquæ partes ad interiora trahuntur, quæ eosdem possunt efficere operationes, nó enim ista emplasta tm̃ habent resoluere humores in partibus contentos, sed etiam ipsos per sputum, aut aliam euacuationem expellunt. Qua ratione Ambrosius Pareus Rondeletius, Chalmeteus, Phalopius, & alij, quam plurimi consulunt quod eos, qui vnctiones substinere nollunt, cum emplastis curémus.

Et confirmatur vlterius, nam rustici communiter enecant pediculos vngendo caput cum argento viuo cum butyro permisto, sine vllo detrimento, ergo sic similiter caput gallica lue infectum liniri poterit.

Pro hacq; sententia non dessunt aliqua authorum testimonia, nam in primis Isla in re practica Mehercule admodum exercitatus folio. 71. cap. 12. inquit se inuenisse maiorem vtilitatem, cum caput, quam cum alia vngebantur mẽbra, & Rondeletius lib. de Morbo Italico folio. 868. capite de aqua Theriacali pro dolore capitis cõponit quoddam vnguentum ex mercurio, quo præcipit vngi partes dorsi, & seruicis, & in fine eiusdem libri asserit achores, & capitis scabiem felici successu cum vnguentis hydrargiri curari, & idem in methodo curandi morbos cap. 12. de dolore

dolore capitis a morbus Italico quodam vnguentum conficit, ex mercurio quo caput & articulos iniungi iubet.

Quod si alibi dixerit caput liniendum non esse intelligi debet, quando caput tam graui non afficitur affectu, vt vnctionibus egeat.

Sed quid in his moror? Nonne in rebus practicis experientiæ credendum est? Accedat igitur experientia rerum omnium magistra, & nostram confirmet sententiam, nam per triginta annos in quibus medicinam feci semper vnctionibus capitis sum fæliciter vsus, & innumeros ęgrotantes (diuino auxilio) a sæuissimis, & crudelissimis morbis, & symptomatibus liberaui, & ab orci faucibus restitui, ex his tamē, vnū, aut alterum casum referam, pro ampliori confirmatione. Cum ego in nosochomio sancti Spiritus ægrorum curam gerebam inter alios quidam fuit ægrotus tan crudeliter capitis doloribus, & gumositatibus satis inueteratis vexatus, vt præ dolorum vehementia, quasi atonitus iacens fere extinctus videbatur. Cui (alijs non proficientibus remedijs) post purgationem vniuersalem cū pilulis denitro, quatuordecim vnctiones vniuersales, tā iuncturis, quam capiti administraui post quas dolor capitis sedatus fuit reliqua accidētia cessarūt, & ęger ad optatā sanitatē fuit restitutus

Fuit

Fuit & alter ęgrotus anno præterito 1605. qui lue gallica affectus capitis intenso admodum dolore laborabat febreque continua ad modum terciane duplicis quotidie repetente, qui post vniuersales euacuationes vnctiones, tam capitis, quam articulorum expertus integre conualuit, & huius testis est oculatus sapientissimus Doctor Ximenez Guillen, qui vna mecum tali præfuit curationi, & innumeros alios referre possem, nisi lectoribus tædium causare, timerem solum eos testes voco, qui hoc remedium gustarunt in quorum manus si scripta hæc mea inciderint non dubito, quod me veritatem loqui confirmabunt.

Sed neque ego solum hoc vtor remedio; nam alijs in regionibus communis est vsus vngendi capita in Italia enim (vbi ni falor incepit vsus liniendi capita) grauissimos, & sapientissimos Medicos sæpe vidi cum apud Italos eram hoc fæliciter administrare remedium, & præcipue pręceptorem meũ chirurgum insignem Iulium Iacolinum a quo, & a patre meo charissimo modum vngendi accepi, & in Valentina ciuitate tam communis est vsus vnctionum in capite, vt nec vllus dubitet de illis administrandis, & in hac ciuitate Doctor Petrus Verdugo, Doctor Petrus de Victoria, & Doctor Melchior de

Plaça, si qui alij grauissimi & sapientissimi Medici cum sese offert occasio caput linire præcipiunt. Quare cum hoc iam quam pluribus euentibus sit confirmatum posthac Medici rustico excluso timore caput vngere audeant, ne tã mirabili remedio homines destituãtur, sic enim quam plurimos iam iam deploratos ad sanitatem restituent non cũ pauca Medicinæ laude.

Et licet hoc remedium nondum expertum esset nosipsum cum alia non prossunt in capitis affectibus, experiri possemus, hoc enim licet periculosum fas est aliquando efficere, nam si remedia non experirentur homines, non esset condita medicina: et si Galenus sanguinem esse mittẽdum contra sui temporis medicos acriter non defenderet, & stabiliret forte tam singulari, ac præstanti præsidio ars medica careret, et si posteriores Galeno Medici in pueris venam secare non auderent, quam plurimi ipsorum misserrime interirent: Et si Iacomus Carpensis (nam hic fuit primus, qui vnctiones in morbo gallico administrauit) vnctionibus in morbo gallico non esset vsus, videant omnes, quam magnus ægrorum numerus interiret, et si præterea vnctiones in capite non experirentur Medici, quam plurimi a grauissimis capitis affectibus oppressi vitã cum morte commutarent. Qua ratione licitum

est

eſt in maximis morbis cum alia non proſſunt re media aliquod medicamentum expiriri.

Cæterum in vnctionibus adminiſtrandis, illud ſeruari debet, quod argentum viuum probe extinctum ſit, quod fiet ſi argentum viuum diu fuerit permiſtum cum axunxia porcina quare taliter paratum oportet habere hydrargirum, vt facile ſit, ex eo fortem mediocrem, aut debilem vnctionem parare, quod quidem hoc modo fiet accipiatur vna libra argenti viui foſsilis, & depurati, & ter, aut quater traijciatur per alut. in, aut linteum duplicatum, ſic enim omne plumboſum, & totam ſorditiem deponit, poſtea multoties abluatur cum aceto & ſale, & deinde in fundatur in aceto ſchilitico, quod cum veluti cineritium reddatur ab aceto ex trahatur, & permiceatur cum altera libra axunxiæ porcinæ ſine ſale, & hoc modo diu poterit ſeruari argentum viuum, & facile ex eo quamlibet vnctionem parare poterimus, nam ſemper duplam huius medicamenti quantitatem cum reliquis medicamẽtis miſcebimus, quam ſit ea, quam argenti viui deſideramus, vt ſi placeat, quod in vna libra medicamenti ſint duæ vncię argenti viui accipiemus prædicti compoſiti vncias quatuor.

Quam falſum tamen ſit (vt hoc obiter dicamus) aſſerere, quod ægri labari debeant decimo

quarto die ab vnctionibus, ita notum, ac manifestum esse arbitror, vt nullus, licet mediocriter in artis fundamentis percallēs ignorare posſit. Quod vt exactius intelligatur, ſciendum eſt argentum viuum partibus applicitum nullomodo repercutere humores in ipſis contentos, ſed potius ſuo calore, & ſiccitate maximaque friabilitate fundit, & liquat humores, ita vt in maiorem mollem accrecentes, & ampliorem locum occupantes vehementiores concitent dolores in vnctionum principijs propter maiorem partium diſtensionem donec euacuata materia dolores remittantur. Propter hydrargiri autem acrimoniam acres redditi humures, valde conturbant, & irritant naturam, qua irritatione coacta materiam moleſtantem per regionem trudit commodiorem.

Habet hoc inſuper argentum viuum, quod cum eſt actuatum, & ad calorem reductum totũ ipſum facillimo negocio infumos conuertitur propter maximam, qua argentum viuum pollet friabilitatem, friabile enim, & actualis humiditatis non expers facile vi reſoluentis coloris in vapores abit, nam non eſt humiditas & partium tenaſitas, quæ reſolutionem immoretur: & hac ratione exiſtimo quartanā febrem breuiores habere acceſsiones, quam quotidianam, licet propter

pter humoris melancholici terream ſubſtantiã
vtraque qualitate coctioni repugnantem vniuer
ſalis quartanæ conſtitutio prolixior ſit, quã quo
tidianæ. Fumi igitur argenti viui ſurſum delati caput petentes attenuant humores in capite, & in partibus ſuperioribus exiſtentes (cum caput ſemper pituitoſis abundet humoribus) quos natura per palatum, vt per commodiorem & proximiorem regionem expellit facta per ſputum euacuatione & ſucceſsione, ad id quod euacuatur omnes corporis partes, etiam remotæ ad palatum, vt ad partem debiliorem excrementitios tranſmittunt humores, tum per manifeſtos, tum etiam per ocultos meatus, & ita hæc per ſputum euacuatio communis eſt in vnctionum adminiſtratione, quamuis ſi iuxta alias regiones aliquando humores extiterint per ipſas ſoleat exhonerari natura. Vnde ſæpe videmus per vnctiones ſudorem, alui fluxum, aut vrinam promoueri, & licet in vnctione partium inferiorum cõmunicentur capiti fumi argenti viui non ſufficiunt pro extirpandis magnis, & inueteratis cerebri morbis, niſi ipſum argentum viuum capiti applicetur.

Hæc, quæ per ſputum fit euacuatio ſenſim, & paulatim accidit, tum quia humores euacuandi lenti ſunt ac craſsi, & ideo ſimul diſponi, non

poſſunt ad ſubitam eorum euacuationem, ſed ſicut ſenſim, & paulatim attenuantur. Ita lente ad locum euacuationis expelluntur. Tum etiam paulatina eſt hæc euacuatio, quia communiter accidit per reſudationem, quæ cum per anguſtos fiat meatus ſubito compleri nequit.

Cum igitur in euacuando humore per ſputum, adminiſtratis vnctionibus ſemper dum fuerit in corpore morbus gallicus, perſiſtit natura, & cum talis euacuatio lenta, & paulatina ſit neutiquam natura in breui tempore talem euacuationem perficiet, ſed longiori tempore eget in quo nunquam ab ea euacuatione naturam diſtrahere oportet, ſed ſi in quatuordecim diebus natura nondum compleuit humoris euacuationem, vt experientia conſtat, quandoquidem videmus in his diebus adhuc naturã inſputione perſeuerare. Qua ratione (o bone Deus) aliqui audẽt medici ægrotos decimoquarto ab vnctione abluere? Niſi forte terminum acutorum in ſpuitione ſeruare velint diſtrahunt enim lotione naturam ab incepto opere, nam nõ alia ratione graui aliquo in vnctionibus superveniente ſymptomate partes hydrargiro illitas abluimus fricamus, & ipſis cucurbitulas applicamus, niſi quia lotione hydrargirum extrahimus

& hu-

& humorum impetum alio fluentium ſiſtimus, & ad locũ antiquitus affectum reuocamus. Difficile tamen eſſe credo, quod aliquis ſit morbus gallicus, qui vnctionibus petat curari, & quod eius materia intra quatuordecim dies poſsit euacuari morbus enim, qui vnctiones expoſtulat firmatus eſſe debet & inueteratus a multaque pendens materia, quæ intra prædictum tempus euacuari non poterit.

Ad quod etiam plurimum iubat, quod morbus gallicus non integre ſoluitur quouſque illa maligna qualitas venerea iecori impreſſa corrigatur, quã in quatuordecim diebus auferri poſſe dicet nemo. Et dum talis qualitas in iecore fuerit gallici ſemper generabuntur humores qui etiam per ſputum vi argenti viui expelli deſſiderãt, & ita ego lotionem fieri iubeo poſt duos aut tres menſes, prout fuerit humoris quantitas ac morbi diuturnitas. Alioqui ſi in breui tẽpore abluantur ægri dolores præcedentibus ſæuiores aduenîunt, quia ad affectas ſedes, iterum reuocãtur humores, vt ſæpe ſæpius aliquibus medicis accidere vidi, qui id propter aliquod erratum potius, quam propter malam curationem fieri exiſtimant, & licet aliquando fieri contingat, quod intra quatuordecim dies integre morbus gallicus ſit ſolutus non ideo indiffinite proferẽdum

eſt,

est,quod in decimoquarto labentur ægrotantes cũ huius rei certus terminus præfiniri nequeat, sed quando perfecte materia morbifica iam esse euacuata videatur, quod intra prædictum a me antea tempus accidere solet.

Vt tamen iam huic quæstioni colophonem imponamus argumentis pro contraria parte adductis satisfacere oportet ad primumque, & secundum simul respondebimus negando quod argentum viuum frigidum sit, vt probaui in tertio notabili patiuntur autem aurifices, & illi qui in argenti viui fodinis versantur affectus frigiditatem atestantes, vt tremorem, & paralysim nõ quia hydrargirus frigidus sit ex sua natura, sed quia per accidens, quando actuatus non est frigidatem inducere valet, nam ab argento viuo crassi admodum eleuantur vapores cum enim argentum viuum friabile sit eius partes, vt vi resolutionis separarentur, multa non egent attenuatione, sed facile resolutioni cedunt partes, quia non est partium tenasitas, quæ partes multum cohærẽs resolutionem immoretur, & cum etiam propter paucam moram parum quoque partes attenuentur, ideo vapores valde crassi ab argento viuo eleuantur, qui corporibus communicati cum actuati non sint calefacere nequeũt, sed potius cum calore naturali permisti sua cras-

sitie

ſitie ipſum probe ventilari non permittunt, & inde calore naturali ſuffocato cruditates generantur, ex quibus prædicti oriuntur morbi. Quare ego exiſtimo, quod diuerſa antidota argentum viuum requirit cum actuatum eſt ac quando ad actum reductum non eſt, nam actuato hydrargiro lenientia, & a temperantia conueniunt medicamenta, non actuato vero calida potius ſunt ex vſu, quæ effectus frigidos per accidens ab argento viuo productos corrigere poſsint.

Et quamuis concedamus hydrargirum frigida conſtare temperie non inde concluditur quod capiti adminiſtrari non debeat, nam cũ calidis rebus attemperatus, nimis ledere nõ poterit, et ſi aliqua ſequitur noxa maior eſt vtilitas ex morbi gallici curatione, quam noxa ex temperie argenti viui cauſata.

Ad tertium argumentum reſpondetur negando, quod argentum viuum euacuet humores repellendo, ſed potius inſcindendo, & attenuando, vt diximus. Cum igitur humores in capitis gumoſsitatibus contenti fuerint fuſi, ac liquati partim reſoluuntur, & partim expelluntur per cranei comiſuras, & per ocultos meatus ad cerebri infundibulum, & palatum

& inde foras expelluntur, neque enim implicat, quod humores moueantur versus partem principem quale est cerebrum: nam cum talis motus fiat ad cerebrum, tanquam ad medium per quod euacuatio facienda est per modum transeuntis, & non tanquam ad finem in quo humor retineri debet, ideo bene possumus tali vti medicaméto cum non sit alia commodior curationis via. Euacuari autem humores vtiliter per partes principes sæpe videmus, imo quod quotidie in re practica id exercemus, nam quando exhibemus medicamentum expurgans ad euacuandos humores in uenis maioribus contentos, nullo modo humores inuenis contenti per aluum euacuari poterunt, nisi per iecur fiat transitus cum solum medio iecore intestina, & venæ maiores copulentur. Vtiliterque, etiam pus in pulmonibus contentum per sinistrum cordis ventriculum solet euacuari. Hæc dixi, vt intelligatur consonum esse rationi in gumositatibus capitis humores per cerebrum euacuare cũ alia non fuerit curationis via.

Ad quartum Argumentum respondetur, negando quod argentum viuum sit venenum, vt iam diximus supra in notabilibus, nam li-

cet

cet insensibilis ille Pharmacopola assumpto hydrargiro interierit, id quidem non fuit ratione venenatæ mercurij qualitatis, sed per accidens ratione nimiæ multitudinis argenti viui, nam cum argentum viuum maxime pōderosum sit multum agrauat, & suffocat partes quibus adhæret, vnde si in nimia quantitate sumatur partibus agrauatis calor naturalis suffocatur, & mors consequitur. Hocque accidet si argentum viuum propter aliquam causam per multum temporis spatium intra corpus retineatur. Qua ratione hidrargirus extinctus si non actuatur, quia non fluit, sed multum retinetur magis suffocat quam viuus, quare argentum viuum, quod ore summi debet purum, & defæcatum debet esse, vt magis fluat, non tamen impurum & plumbatum. Si vero argentum viuum non multum immoretur, neque in maxima sumatur quantitate proculdubio, nullam noxam afferet, quod euidens est argumētum ad prouandum, quod argentum viuum non sit venenum, sed per accidens aliquando interficere ratione multitudinis materiæ, sicut etiam videmus chalybē sine præparatione assumptum mortem inter dum sufocando inducere præ ipsius multitu-

dine, & grauitate, & hac ratione chalybem præparamus, vt ipsum leuiorem, & non ita sufocantem reddamus, & vt facilius actuari, & distribui posit. Quare statim post chalybis assumptionem vehementem imperamus fieri motum ne ipse totus præ quiete ventriculo adhæreat, & sufocationem inferat & quia totus ille calor comparatus per forte illud exercitium requiritur ad hoc, vt calybs solidæ & densæ mistionis actuari, & per partes distribui posit, & licet propter prauum chalybis vsum mors consequatur non dicemus chalybem esse venenum, quia mors per accidens aduenit, ita similiter argentum viuum licet aliquando interimat cum id per accidens efficiat venenum dicendum non est. Et licet concedamus argentum viuum esse venenum, nihilominus tamen bene poterit capiti morbo gallico affecto administrari. Quod vt intelligatur notandum maxime est malignam alicuius veneni qualitatem non alio modo nostram substantiam corrumpere, quam destruendo propiam partium mistionem venenata enim qualitas mistionem suæ formæ debitam producere intendens, nostram mistionem corrumpit, quod si alia inueniatur qualitas quæ

con-


contrariam illi miſtionem producat eius antidotum erit, & hinc deſumitur ratio propter quam duo venena ſimul ſumpta ſi contraria ſint non interficiunt, licet quodlibet ſeorſim interimire valeat, nam vnumquodque ſuam intendens producere miſtionem partium miſtionem conſeruat cum neutrum præualere poſsit. Ita ſimiliter cum cerebrum affectum eſt venerea qualitate, non offenditur ab argenti viui venenoſitate, ſed potius adiuuatur contra veneream qualitatem ad hoc, vt eius miſtio immutari nequeat, & ita cerebrum, nec a hydrargiri qualitate, nec a venerea proprietate alteratur, ſicut etiam videmus lue gallica affectos nunquam, aut raro peſte corripi non alia, quam prædicta ratione, & licet in cerebro ex argento viuo aliqua ſequatur noxa maior eſt vtilitas quæ ex morbi gallici curatione reſultat.

Ad quintum & vltimum argumentum reſpondetur, negando quod argentum viuum non tollat veneream iecoris qualitatem, nam videmus plures per vnctiones, ita perfecte a morbo gallico curari, vt recidiuam non patiantur, quod eſſet impoſsibile ſi argentum viuum qualitatem veneream non tolleret, ac deſtrue-

destrueret, & licet id non efficeret, deberet administrari, nam euacuata materia morbifica a qua fouetur, & conseruatur prauus iecoris habitus, facilius praua illius qualitas ab aliquo antidoto, vt decoctione chinæ smilacis asperæ, aut ligni guaiaci auffertur quade causa post vnctiones aliqui ter, aut quater prædictis decoctis sudare præcipiunt.

LAVS DEO.




1-i 25077491
2-i 25077508
3-i 25077478
4-i 25081421
5-i 2507748X
6-i 25066213
7-i 25077466
8-i 25070551
9-i 24991090
10-i 25070587
11-i 25070563
12-i 25077454
13-i 25078598
13(bis) i 2500096x
14-i 25060983
15-i 25088774
16-i 25088762
17-i 25007270
18-i 25016064
19-i 25056025
20-i 25088786
21-i 25083181
22-i 2508317X
22(bis)-i 25070575
23-i 2499196x